



Roricus filius fuit Hotheri fortissimi regis Danorum, qui post patris obitum, anno mūdi cūciter ter millesimum trecentesium trigesium, rex electus fuit. Eo tempore Curetes ac Sueones, perinde ac Hotheri morte tributariæ fortis onere liberati, Daniam armis aggredi statuerunt, atq; huius defectionis plures socios habuerunt. Verū Roricus magna animi & corporis fortitudine præditus, hostem fortiter nauali & terrestri prælio excepit, atque omnes regni sui subditos in officio continuit. Erat is erga athletas & præstantiores milites liberalissimus, ita ut aliquoties torquem aureum collo detractum ipsis dono dederit, atque hoc modo

alios ad uirtutes excitarit. Sicq; factum ut magna foelicitate regnum administrarit, atq; tandem moriens illud genero suo gubernandum reliquerit. Sax. Gram. lib. 4. Hist. Dan.

In huius Roderici uita Ioannes Magnus libr. 2. cap. 25. Saxonem iterum reprehendere, atque omnem belli gloriam à Danis ad Sueones transferre conatur. Verum cum nullum alium authorem habeat, qui de rebus populorum septentrionalium antiquissimis, certius & citius quam Saxo scripserit, nos potius in huiusmodi Saxonem sequimur, interim prudenti lectori iudicium relinquentes.